beata Elyzabeth hiis verbis
maritum allocuta est, Vere do-
mine inquit, ego cogitavi vitam
bonam nobisque necessariam,
per quam deo utiliter servire
possemus. Respondente lant-
gravio quenam est vita illa
subjunxit, Vellem nos tantum
habere terram aratri unius
et oves ducentas ita ut vos
terram eandem manibus ve-
stris excoleretis et ego oves mul-
gerem. Ad quod verbum lant-
gravius subridens, et simplici-
tati ejus congratulans, jocose
respondit: Eya soror, si ha-
beremus terram aratri unius
et ducentas oves, non essemus
pauperes, sed divites. Et
impletum est in ea quod per
sapientem dicitur: Gracia
mulieris sedule delectabit
virum suum, et ossa illius
impinguabit. Ossa signifi-
cant virtutes. Quicquid enim
boni in viris est, gracia et
devocione sanctarum mulie-
rum augetur et roboratur.
Castitatis atque socius boni
amator idem lantgravius
erat, haud dubium, quia gra-
cia mulieris sancte. Qui fi-
dem thori tum ex dei timore
tum ex mutuo amore illi
servare studuit. Quod quidam
ex militibus ejus considerantes
et tanto gracie invidentes